



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

12 Feb. Prid Idus Feb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

184 ANNI CÆLESTIS  
OMNES SANCTI, &c.  
pag. 44.

S. MARIA, *super cuius templum  
splendere hodie, & Aquilana Urbi  
benedicere visus est S. Petrus Cæle-  
stinus. Da mihi, & impetra mihi  
benedictionem ab omnibus Sanctis tuis,  
quorum Regina es!*

12 Feb. Prid. Idus Feb.

S. Antoni Ep. qui primas literas  
puer, Spiritu sancto magistro,  
sanctus discipulus, didicisti; & de-  
inde patrem etiam tuum, ad mundi  
contemptum pellexisti: cui prote-  
stamenti, in pauperes erogandi,  
auctario, magnam auri vim addidit  
Angelus; data in exequiis eleemo-  
syna, in ipsis pauperum manibus  
crevit, & cadaver odore cælesti fra-  
gravit. Ora magistrum tuum pro  
me, felix discipule; ut ita me illa,  
quæ nescio, scire; ita illis, quæ scio,  
uti; ita vivere, ac mori doceat, pro-  
ut verum Spiritûs sancti discipu-  
lum decet. Amen.

S. Constanti Comes, è milite  
opulento, Deo militans, post ex-  
pensa illa Christi verba; *Si vis per-  
fectus esse, vade, & vende omnia, quæ  
habes, & da pauperibus:* qui locum,  
con-

condendo Dei Matri templo, à columbâ didicisti.

S. Eulalia Virgo, cujus lateribus admotæ flammæ extinctæ sunt, igne in carnifices verso: quæ, post equuleum, ungulas, flammæ, crucifixa; & mox à nive de cælo cooperta, spiritum, in columbæ specie, in sublime volantem, exhalâsti: quæ S. Felici, tibi palmam gratulanti, arridere es visa.

S. Damiane miles M.

Sancti Modeste, & Juliane, MM.

S. Modeste Levita, M.

Sancti Modeste, & Ammoni, infantes.

S. Meleti Ep. pro Christo exul.

S. Gaudenti Episcopo.

S. Juliane, à quo, in specie pauperis, passus Christus, dixit; te peccatorum veniam obtinuisse.

S. Eleutheri, qui decimoquinto ætatis anno, cum aucupio multum occupareris, noctu, per quietem, vocem audiisti: Eleutheri, quid frustra laboras? Ecce faciam te homines capientem; & cum religiosâ S. Basilii veste nomen Alexii accepisti. Postea Metropolitæ Kijoviæ, cæcæ Amurathis, Turcarum Imperatoris, filiæ visum restituiisti;

L 3'                      mortis

mortis tuæ tempus prævidisti; eamque, post Missæ sacrificium, datâ Principi, ac populo benedictione, sanctè obiisti.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 44.

S. MARIA, de quâ, per annum integrum, Sacrum, quando id licet, celebrari petiit à S. Birgittâ, suâ conjugè, hodie mortuus, & illi conspectus, Ulpho. Doce me purgatorii breviandi compendium, & artem, Domina; & ut multas animas inde eripiam, iuva!

13 Feb. Idib. Feb.

**B.** Jordane, qui eo, quo pauperem donâras, balthæo, Crucifixum in templo ornatum vidisti: ad quem Beatissima Virgo sæpè sceleratos plures persanandos misit; quam etiam, inter preces, prehensâ JESU parvuli manu, orantibus omnibus benedicentem vidisti: qui denique, dum terram sanctam peteres, ad cælum naufragus abiisti. Ora, ut èt mihi, tam viventi, quàm morienti, cum prole piâ, benedicat Virgo MARTA, sive repentè, sive aliter moriar. Amen.

S. Agabe Propheta.

Sanctæ